





8

1748 2<sup>b</sup>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# CONGESTIONIBVS

VVLGO

# CATARRHIS

ET

# RHEVMATISMIS

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AMPLIS-  
SIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, DECANO FACVLTATIS MEDI-  
CAE H. T. SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE

AC PROMOTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

**PRO LICENTIA**

SVMNISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS

AD DIEM *MII* MDCCXLVIII.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI EXPONET

**HENRICVS CHRISTIANVS MVLLERVS**  
MEHLERA-GOTHANVS.

HALAE MAGDEVVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.



DISERTIO  
DE  
CONGESTIONIBVS  
VALCO  
CATARRHIS  
RHEVMATISMIS  
BONNO  
PRO  
HARRICVS  
IN



VIRIS

AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, ERVDITONE, MERITIS, NO-  
MINIBVS ET MVNERVM DIGNITATE ORNATISSIMIS  
AC SPECTATISSIMIS

*SVMME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMO*

DOMINO

D. GOTTH. AVGVSTO  
FRANCKIO,

ORDINIS THEOLOGICI IN ACADEMIA FRIDERICIANA PROFESSORI SENIORI,  
ECCLESIARVM AC SCHOLARVM DIOCESEOS SALANAE PRIMAE INSPECTO-  
RI, PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI DIRECTORI  
ET AD AEDEM B. M. VIRGINIS ECCLESIASTAE

NEC NON

*ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMO*

DOMINO

D. IOANNI IVNCKERO,

MEDICINAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO LONGE CELEBERRIMO IN ALMA  
FRIDERICIANA, NEC NON PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI  
HALENSIS PRACTICO FELICISSIMO

DOMINIS

MAECENATIBVS AC PATRONIS SVIS

SVMMA PIETATE OMNIQVE RELIGIONE AD VRNAM  
VSQVE DEVENERANDIS.

VIRI  
AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI



Diu multumque dubitavi hasce paginas Vestris Excellentissimis Nominibus offerre; leves enim & non satis dignas tantis Viris existimabam, quibus me plus debere videbam, quam quod ego perolvere possem. Vicit tandem pietas timorem hunc, licet iustissimum, quæ potius aliquam, quam nullam gratæ mentis significationem a me exigebat. Immemor sane mei ipsius essem, si tantorum a Vobis, PATRONI EXIMII, in me professorum beneficiorum oblivio me teneret. Repeto mecum, non sine insigni animi mei lætitia, istorum temporum memoriam, quibus abs TE, VIR SUMME REVERENDE, tam bene-

benevole exceptus sum, quum hanc Musarum  
sedem salutarem. Excepisti non solum ege-  
num, sed & ipsius saluti & prosperitati quo-  
vis tempore liberrime prospexisti; quare cer-  
te nescio, alterumne patrem nominem TE  
potius, an Tutorem felicissimum. TIBI vero  
itidem, ILLVSTRIS IVNCKERE, multis  
magnisque nominibus obstrictus sum; nam-  
que præter fidissimam TVAM instructionem  
in sanioribus artis medicæ principiis, qua per  
quinquennium gavissus sum, hoc quoque be-  
neficiis TVIS innumeris addidisti, ut ad spe-  
cialissimam praxeos medicæ exercitationem  
optimam in nosocomio orphanotropei mihi  
suppeditares occasionem. Ibi quotidie exi-  
miam TVAM comitatem & suavitatem, be-  
nignitatem ceterasque egregias TVAS virtu-  
tes mihi observare licuit. Accipe igitur id,  
quod TIBI acceptum referre debeo, quoque  
majus TIBI jam reddere nequeo. Accipite, VI-  
RI AMPLISSIMI, hoc qualecumque, atque  
gratam meam mentem, non parvitate & te-  
nuita-

nuitate operis, sed voluntate dimetimini. Esto mihi hoc monumentum atque memoria VESTRORVM celeberrimorum NOMINVM, quæ, dum vivam, grato animo recolam, & quibus absens quoque largam beneficiorum remunerationem apprecabor. Summum istud Numen, omnium bonorum fons & origo, optima quævis VOBIS largiatur; largiatur tranquillam & iucundam senectutem, vitamque proroget diutissime, omni felicitate abundantem. His votis vt annuat Deus, ardentissimis rogat precibus, qui summam exinde voluptatem lætissimosque fructus sentit, ideoque se ulteriori VESTRAE benevolentiae commendat

AMPLISSIMORVM VESTRO-  
RYM NOMINVM

*Cultor ac cliens observantissimus*

HENRICVS CHRISTIANVS MULLERVS.





## PROOEMIUM.



*catarrhorum & rheumatum* publica fama pluribus iam sæculis intonuit per orbem. In academiis tractatio horum morborum adeo pervulgata est, ut auctorum, qui de de iis scripserunt, ingentem numerum recensere possimus. Qui in republica ægrotis medentes manus adhibere solent, nulla difficultate restantur, hanc morborum familiam potiore in foro medico sibi locum vindicare, plurimumque negotii & fatigationis sibi offerre. Quin etiam per vulgus imperitum observamus, non facile dari quempiam, qui non possit de catarrhis prolixiores facere sermones. Quæ omnia cum ita se habeant, quis Te, benevole lector, reprehender, si forsitan iudices, dissertationis meæ argumentum ad superflua, saltem ad vile scribendi genus pertinere, paucioribusque amabile futurum esse. Enimvero benigniora a Te spero censuram, si Tu ipsam huius materiae tractationem perlegeris, ego vero ea, qua decet, modestia,

stia, de horum morborum fati in hac præfatione nonnulla dixero. Videlicet antiqua medicinæ schola multa quidem de *catarrhis* & *rheumatismis* nobis tradidit, sed valde obscura & perplexa; unde, licet HIPPOCRATIS interpretes in iis evolvendis & explicandis magnæ molis laborem sustulerint, tamen neque sibi neque posteris ubique satisfecerunt. Nostro quidem tempore, accuratioris anatomiæ beneficio, antiquorum de *catarrhis* & *rheumatismis* errores plurimum detecti & reiecti sunt, tantum tamen abest, ut doctrinam de hisce morbis in pleniorum lucem auctores proferre potuerint, ut potius, si in primis finem therapeuticum respicias, novæ passim tenebræ & medendi difficultates in ea obortæ sint. Plurimi enim veram horum morborum indolem prætervident, & in *solis* humorum pravitatibus acquiescendo, hic sanguinem falso-acrem, illic vappido-frigidum accusant: quæ sane contemplationes, licet aliquid veri involvant, ad felicem tamen eorum curationem, & ad optatam declinationem rationales ac sufficientes indicationes suppeditare non possunt. Loquantur hic & testentur Viri in praxi medica feliciter multumque versati: quot & quanti in *catarrhis* & *rheumatismis* tam diiudicandis quam curandis committantur errores & confusiones; ac tum quidem nullo negotio elucescet, uberiorem fonticæ huius materiæ evolutionem in superfluis non habendam, sed potius pauciores veritatis testes numero esse adaugendos. Cui fini laborem quoque meum qualemcunque destinatum cupio. Faxit Deus feliciter!

PARS

PARS THEORETICA.

§. I.

**G**ræcæ linguæ voces, *catarrhi* & *rheumata*, non adeo congruæ sunt, vt morborum, de quibus agere mecum constitui, indolem ac naturam satis exprimere possint: nam humores non semper in iis fluunt defluuntque, sed potius contrariam in multis casibus constitutionem, nempe liberæ fluxionis impeditum successum, ostendunt. Vnde quid de Germanorum quoque adpellatione, *Flüsse*, iudicandum sit, satis liquet. Interim generaliore acceptione, qua HIPPOCRATES defluxionem humorum ex una parte in alteram intelligit, hi termini quodam modo veniam impetrare possunt,

§. II.

Posteri verborum ac rerum, seu eventuum, discrepationes animadvertentes, alia his morbis nomina, contrariam significationem involventia, passim dederunt, atque in priorum locum iam *decubitus* humorum jam *stagnationes*, jam *stases* & *obstructiones* substituerunt.

§. III.

In utraque contrariæ denominationis parte, fluxionis scilicet & staseos, non nihil quidem veri, sed multum quoque adversa fronte concurrentis exprimitur: qua de causa hi morbi nostro tempore concinnius & explicatius *congestiones* adpellantur; quia aliquid activi hoc vocabulo significatur.

§. IV.

Est autem *gestio* copiosior humorum ad peculiariora loca directio, evacuandi scopo instituta. Confer. *Illustr. D. PRAESIDIS conspect. med. theoret. practic. Tab. XVIII. p. 139.* Non est  
B huius

hujus loci, longius explicare, qua fieri soleat ratione, ut sanguis, salva generali illius circulatione, ad particulares corporis regiones *copiosius* dirigi possit; hæc enim doctrina variis in scriptis per motus tonici in partibus solidis actionem fati demonstrata, & legibus mechanico-hydraulicis vindicata est.

## §. V.

Igitur necessarium tantum erit, ut de *intentione evacuandi*, & de illius *successu ac eventu* dicamus. Vtraque Schola, & *mechanica* & *organica*, quamvis de regiminis hujus *directore* dissentiant, in eo tamen conveniunt, quod humores, ad particularia loca copiosius congesti, *tendant* ad sui excretionem: concordat ipse eventus in pluribus subiectis; suffragatur innumera qualiumcumque hominum multitudo.

## §. VI.

Fiunt autem istæ congestiones vel ad talia loca, quæ ad humorum perruptionem & effluxum idonea sunt, v. g. ad nares, pulmones, ventriculum, renes, vterum, intestinum rectum, ac tum dicuntur congestiones *simplices* seu *complete*, quæ hæmorrhagias *directe* respiciunt; vel contingunt ad eas regiones, quæ a viis hæmorrhagicis *longius distantes*, exitum sanguini non concedunt. Tales congestiones dicuntur *incomplete* seu *rheumatica*, ad quas etiam *arbitraria* omni iure referuntur.

## §. VII.

Ad indolem & naturam congestionum rectius perspicendam, multum valet circumscripta disquisitio de *differente earum eventu*. Quando enim vera sanguinis per hæmorrhagiam contingit excretio, princeps naturæ intentio adimpletur; de quo quidem *hæmorrhagico eventu* hæc differ-

dissertatione non est agendum. Si vero vel ob humorum spissitudinem, vel ob viarum & canalium constrictionem sanguis stricte dictus, tamquam crassior humorum pars, non potest excerni, tum vel serosa seu tenuior tantum portio effluit, vel nulla plane excretio sequitur.

§. VIII.

Atque hic dispar euentus, qui vel nullius vel ferossæ tantum excretionis est, *catarrhorum* & *rheumatismum* nomina in scenam produxit, ita quidem, vt distinctionem fecerint, atque horum morborum alios *frigidos*, alios *calidos* adpellauerint. Ad priores rerulerunt eos, in quibus humores ferossi excernuntur, quibusque *catarrhorum* nomen speciatim impositum fuit; ad posteriores autem rerulerunt illos, qui ab excretorio euentu alieni sunt, quique *rheumatismi* præcipue vocantur.

§. IX.

Quamquam autem satis fundata fit hæc horum morborum in *calidos* & *frigidos* modificatio: non nulla tamen, quæ ad accuratiorem eorum distinctionem valent, hac occasione sunt exponenda. Scilicet *plurimi* quidem *rheumatismi* titulum *calidorum* iure merito & perpetuo sustinent: quando enim humores ad tales regiones congeruntur, quæ euacuationem illis non concedunt, tum tenuiores seroso - acres, salinæ, sulphureæ & organicae portiones ex massa sanguinea secedunt, partesque sensibiles nerveo - tendinosas altius penetrant, & in illis eximium ardoris sensum excitant, qui deinde vltiorem humorum adfluxum accelerat, & plerumque motus febriles habet coniunctos. Maxime omnium acris ille fit *rheumatismus*, & stases pertinacissimæ indolis format, qui plures

tenuiores *sanguinis*, strictæ dicti, partes, serosis immixtas, continet: hac enim ratione motus particularum intestinalis augetur, acrimonia exaltatur, & ardoris sensus impetuose incenditur.

## §. X.

Quamvis autem plurimi rheumatismi, ut præcedente §o. dictum est, ad calidas adfectiones, multum æstus & ardoris inuolventes, sint referendi: dantur tamen etiam passim *mitiores*, nempe isti, qui diffusioris sunt ambitus, & exteriores tantum partes, sine concursu inflammatorii motus, leuiter infestant, quos proinde rectius ad frigidos quam ardentis morbos referres. Sicut autem ex hisce considerationibus elucescit, non omnes congestiones *incompletas* seu *rheumaticas* ad calidas pertinere: ita vicissim monendum est, *pauciores* congestiones, quas *completas* vocamus, ubi vel *nulla* vel tantum *serosa* excretio contingit, ad catarrhos *frigidos*, ut vulgo fieri solet, esse referendas.

## §. XI.

Quando enim *nulla* euacuatio sequitur, neque humores ita congesti iterum discutuntur, stagnationes oriuntur, & eadem fere ratione, quam in rheumatismis obtinere diximus, secessiones serosarum partium a sanguine contingunt, ac pro materiae & locorum diuersitate diuersos effectus producere solent: scilicet si serum magis *mucidum* est, & in locis præcipue *glandulosis* restagnat, tumores & catarrhi vere frigidi, nempe scirrhusi aliique eiusdem census succedunt. Si vero serosi humores, ita secedentes, plus partium *acrium* continent, tum sane minime *frigidus* sed potius *calidus* catarrhus, nempe

pe stases acres, quas inflammationes & suppurationes interdum comitantur, contingere obseruamus.

§. XII.

Eandem euentuum disparilitatem animaduertimus in iis congestionibus completis, quæ *serosas* tantum partes *excernunt*. Si enim excretiones catarrhales seroso-mucidas partes potissimum continent, nihil æstus & ardoris inferunt, ideoque ad *frigidos* catarrhos merito referuntur. Huc pertinent coryza & tussis, benignioris, mucido-pituitosæ ac vappidæ indolis. Si autem, quod excernitur, serum plures partes *salino-sulphureas* continet, catarrhus nullo modo frigidus, sed vere *calidus* & dolore æstuante iunctus emergit; id quod præcipue obseruare licet in coryza acriore & in ophthalmia, in quibus sæpius nares & genæ arroduntur atque inflammantur. Cuius acredinis & ardoris augmentum ex eodem fundamento deriuare debemus, ex quo acerrimos rheumatismos §. IX. deduximus, nempe ex miscela sanguinis frictæ dicti tenuioris cum simplice stasi catarrhali. Qui catarrhus falso-acris tantum abest a *frigida* indole, vt potius fonticas inflammationes, & non raro febres catarrhales excitare soleat; quamquam cum vulgo hic passim loquamur, & tales acres catarrhos frigidos appellemus.

§. XIII.

De *rheumatismis* speciatim adhuc notare conuenit, quod vario respectu varie quoque differant; ratione enim *loci*, modo externas corporis regiones, modo internas infestant; respectu *dilatationis* alii sunt ambitus articularis, alii latioris, alii latissimi; ratione *ætat* in iunioribus caput, in proeuectioribus pectus, in senibus autem abdomen & inferiores artus occupant; respectu denique

indolis mitiores sunt, quinexternis partibus & latiore ambitu eueniunt, pertinaces autem qui interiora loca arctiore ambitu adfligunt.

## §. XIV.

Explicatis horum morborum differentiis *diagnosis* eorum nulla difficultate intelligetur. Videlicet in congestionibus *completis* seu *catarrhalibus* sanguis, qui ad peculiare corporis regiones arctius compellitur, non potest non varia incommoda proferre: quando enim sinceri sanguinis euacuatio non succedit, humores congesti restagnant, partis adfectæ inflationem & vasorum sanguiferorum molestam distensionem efficiunt; unde dolores grauantes, prementes & tendentes ægri accusant, & quo magis teneriores & acres feri partes secedendo istam regionem altius penetrant, eo certius dolores pungentes & lancinantes excitantur. Sub quibus incommodis destillationes catarrhales plus vel minus acres, sæpius contingunt, e. g. per nares, oculos, aures; si autem nulla vel sanguinea vel serosa excretio contingit, neque discussio mox obtinetur, in loco adfecto tumores, pro differente stagnantium humorum indole, vel frigidi vel calidi seu inflammatorii oriuntur, concurrente calore præternaturali.

## §. XV.

In congestionibus *incompletis* seu *rheumaticis*, vbi sanguis ad eas corporis regiones, quæ a loco excretionis longius remotæ sunt, restringitur, symptomata multo grauiora persentiscuntur. Equidem in suffarctu adhuc mobili, seu rheumatismo simpliciore dolores tantum tendentes & grauantes, cum partis adfectæ leui inflatione & calore inquietante magis atque acri, quam feruido & æstuante adfligunt; in deteriore autem illius indole, id est,



est, in copiosiore subtilioris sanguinis accessione, seu dyscrasia individuali, longe sunt acerbiora: maior enim adest adfluxus & partis adflictæ distensio, maiorque accedit ardor ad inflammatorium vsque dolorem. Præterea vicissitudines frigoris & caloris frequentes afflictiones augent, & actum febrilem quodam modo sistunt, immo, si maxime acerbus est dolor, vera febris prouocatur. Vtrinque vero molestat impotentia partis adfectæ ad motum externum, & quando tangitur, ex hoc renisu dolor valde acerbus exoritur. Cæterum in rheumatismis *internis* omnia sunt acerbiora, acerrima in phlegmoideis. De congestionibus *arthriticis* dicere, instituti ratio excludit.

§. XVI.

Progredior nunc ad *causas* congestionum tam completarum quam incompletarum explicandas, & quoniam in eis feliciter eruendis multa apud auctores implicata & spinosa leguntur, quæ veræ ætiologiæ impedimento sunt: necesse est, vt eorum remotio præcedat. Primum mittimus & prætermittimus *missionem* veterum *electiuam*, qua fieri iudicabant depositionem & projectionem certarum impuritarum ad commoda & idonea loca: licet enim hæc fictiones aliquid *actiui* inuoluant, eoque ipso indoli congestionum explicandæ commodiores sint, quam quidem eorum notiones, quæ non alium, quam pure passiuum de his morbis conceptum admittunt; in eo tamen longissimæ a vero recedunt, quod humores istos electiue missos tantum pro *quisquiliis* habuerint. Deinde plurium recentiorum pathologia, ad verum congestionum indolem peruidendam, parum lucis in veterum tenebris proferre potest: plurimi enim respectu

*materia*

*materia peccantis* in solis humorum prauitatibus adquiescunt, respectu vero *motuum* nihil actiuarum congestionum, sed vbique passiuua illorum impedimenta, decubitus, stagnationes & obstructions in medium producunt.

## §. XVII.

Excipio recentissimorum nonnullos, qui congestionum doctrinam e tenebris in claram lucem vocarunt, & ratione *peccantis materiae* abundantiam humorum qualiumcumque potissimum accufarunt, ratione autem *motuum* specialem sanguinis ad peculiaria loca directionem & hæmorrhagicam principii vitalis intentionem agnouerunt, atque sententiam suam per *subiectorum*, quæ his morbis infestantur, considerationem cum primis constabiliuerunt. Obseruarunt enim, quod istæ adflictiones plerumque plethoricos, otiosos & laute viuentes occuparent: præcipue quando hæmorrhagiæ eorum naturales suppressæ, aut artificiales quæcumque adfuetæ excretiones neglectæ fuerint. Intentionem autem naturæ hæmorrhagicam ex eo intellexerunt, quod congestiones istæ non promiscue & indifferenter ad quælibet in quolibet indiuiduo loca dirigantur, sed ordinariæ & relative ad ea, quibus per ætatis rationem hæ vel illæ hæmorrhagiarum species destinatæ sunt.

## §. XVIII.

Igitur pro causa *materiali generali* in plerisque congestionibus accusamus plethoram, cum primis per vehementes, siue corporis siue animi, commotiones in organum deductam. Pro *speciali* autem causa in congestionibus quidem *completis* habemus vel humorum spissitudinem vel viarum constrictionem: hac enim ratione successus hæmorrhagiæ impeditur, nempe sanguis stri-

ctæ

ete dictus, quia crassior est, ad genuinam & sinceram sui excretionem non potest perducī. Quam ob difficultatem *triplex sinister euentus* expectandus est: velenim tenuiores humorum portiones, vti superius iam diximus, videlicet seroso-cattarrales *sola* excernuntur; vel *tota* congestio massa successiue iterum discutitur; vel stagnando in *stajm* deducitur, & pro differente sui indole varios tumores hic frigidos, illic inflammatos format, tandemque vlcera & abscessus habet successores.

§. XIX.

Hanc autem intentionem hæmorrhagicam non solum in *congestionibus completis*, sed etiam *incompletis* agnoscimus: quamuis enim molimina ista incompleta a locis hæmorrhagicis longius aberrent, ideoque perruptionis sanguineæ scopum attingere nequeant; sufficientibus tamen rationibus confirmamur, quod eundem, quem habent completæ congestiones, finem hæmorrhagicam *eminus & e longinquo* in pluribus casibus respiciant. Ex eo autem excretionis sanguineæ scopum præcipue intelligimus, quod rheumatismi seu incompletæ congestiones eadem subiecta infestare soleant, quæ §pho XVII. de completis cattarrhalibus indicata sunt. Quibus rationibus experientia accedit: qua edocemur, hæmorrhagiam naturæ largiorem, fluxum menstruum & hæmorrhoides aliquot diebus durantes sæpius soluere rheumatismum. Quæ vero difficultates & impedimenta in causis sint, quod natura intentionem suam hæmorrhagicam in locis adeo longe a scopo obtinendo remotis manifestet, & non potius in regionibus idoneis exitum sanguinis moliat; differenti individuorum constitutioni, tam physicæ quam morali, tribuendum omnino videtur.

C

§. XX.

## §. XX.

Equidem non dissimulandum est, dari non nunquam congestionem, tam completam quam incompletam, quæ non respiciat quantitatis imminutionem, sed prauæ qualitatis remotionem: atque talem congestionem adpellare licet *secundariam*, quæ emendare debet noxam illam, quam præcedens congestio *primaria hæmorrhagica* sinistro sui euentu effecit; id quod exemplis quibusdam illustrare necessarium iudico. Non raro contingit, vt congestio *completa*, hæmorrhagiam narium non obtinens, stasi sanguineæ in altero oculo ansam præbeat; ex qua, nisi feliciter discutatur, *hypopium*, & ex hoc *pterygium* seu *unguis* enasci solet. Quæ oculi læsio deinde occasio est, vt frequens & in non nullis menstrua humorum directio, abstergendi scopo, ad oculum illum instituat, & hac ratione per *secundariam* congestionem labes, quam *primaria* attulit, abstergatur.

## §. XXI.

Idem, & facilius quidem, contingere solet in congestionibus *rheumaticis* seu *incompletis*: quia in his finis hæmorrhagicus, per loci inconuenientiam, numquam potest obtineri. Quamuis enim rheumatismum, ad plurimum circumferre minime sustineamus, sed *totius* potius massæ humorum stagnationem in eo adfirmemus: nulla tamen difficultate concedimus, quod durante hac mora tenuiores acres partes, nempe seroso-salinæ & biliosæ, facile a crassioribus secedere, altiusque penetrare, & hac ratione sensum, molestissime vellicantem, excitare possint ac soleant, præcipue quando veræ iam earum stases & corruptiones factæ sunt. Quæ stimulantur passiuæ causæ naturam

ram

ram sollicitant, vt *secundariam* congestionem actiue suscipiat, & adfundendo humores sinceriores acrimoniam quidem temperare, abstergere & qualemcumque molestum ardorem auertere intendat, plerumque autem accumulando humorem & minime excernendo prauas qualitates statum deteriorem reddere solet. Ex quo irrito conamine & sinistro euentu etiam interpretari possumus frequentem rheumatismi *migrationem* seu defluxum ex quacumque parte in aliam vicinam ac remotam. Ad communem cacochymiam accedit in non nullis specifica venerea & vere scorbutica.

§. XXII.

Sic cognoscimus & adfirmamus, quod congestiones tam completæ quam incompletæ, dentur, quæ sanguinis imminutionem directe non respiciant, sed *secunda* humorum adfusione id, quod *prima* hæmorrhagica vitium est, emendare intendant. Interim maximopere animaduertere decet, in eiusmodi *secundariis* congestionibus intentionem abstergendi, temperandi & emendandi raro esse solam, sed cum respectu hæmorrhagico plerumque coniunctam: quare tales congestiones optimo iure *mixtas* appellare possumus. Experientia enim edocetur, laboriosos homines, e. g. oculorum & dentium interdum habere læsiones, a congestionibus tamen ophthalmicis & odontalgicis raro infestari; contra plethoricos otiosos vel obleuios eiusmodi labes frequentius ab iis vexari: vnde colligimus, naturam plethorica oneratam ad congestiones excitari, vt partim abundantiam humorum imminuat, partim qualemcumque prauam qualitatem abstergat & emendet.

§. XXIII.

Denique de causis quoque *externis*, congestiones præcipue

cipue rheumaticas prouocantibus, non nulla sunt subiungenda. Huc pertinent clementis aëris in austerum mutationes & præcipue solidarum partium violentæ læsiones e. g. vulnera, fracturæ, luxationes, ambuſiones, pernioſes, vlcera diu manantia: in his enim indiuiduis tempeſtatum mutationes inſultum rheumaticum in loco vniquam læſo facile prouocant; vnde vulgata Germanorum phraſis, *einen Calender in den Gliedern haben*, exorta eſt. Præter has *externas* læſiones ad congeſtiones præcipue rheumaticas & vagas contribuunt quoque partium *internarum* læſiones, item febres intermittentes male tractatæ, & acutarum febrium metaſtaſes ſeu abſceſſiones.

## §. XXIV.

Itaque breui cauſarum repetitione dicimus: in caſtarrhis & rheumatismis motum naturæ congeſtorium *primario* quidem reſpicere quantitatis imminutionem, *ſecundario* autem qualitatibus peccantis correctionem & læſionis cuiuſcumque abſterſionem. Sic veritatem ad liquidum habemus exploratam & ineptas multorum explicationes atque manifeſtas paſſim fictiones, e. g. GALËNI flatus, membranas diſtendentes & ſic rheumatismum conſtituentes, WILLISII ſuccum nerueum, excrementis acidis reſertum, MOLLENBROCCII vermes, offium membranas arrodentes, aliaque commenta e caſtris noſtris reiicimus & exauctoramus.

## §. XXV.

Tandem pleniorem quoque rationem reddere decet de moleſtis iſtis ſymptomatibus, quæ congeſtiones quaſcumque comitantur. Dolores puto, qui duplici cauſa inſtituntur: alii enim ab ipſo congeſtionis *actu*, alii ab illius *effectu* dependent. Si *actum* ſeu ipſam congeſtionem conſidera-

sideramus, dolores excitantur vel a materia congesta & stagnante, quæ longiore sui mora calorem, prurimum, ardorem & denique rosionem efficit, vel a formali ipsius ratione, a qua infarctus, tensiones & grauitates molestæ, item sensus frigoris, stuporis & quasi fremebundæ obdormitionis dependent. *Effectus* autem congestionis consistit in actu reciproco, quem natura in parte dilensa suscipit, & per talem renisum iam intentionem congestionis expellendo promouere, iam metuendam statim discutiendo auertere allaborat; quod conamen laboriosum producit varios dolores spasticos, nempe pungentes, tendentes, frementes, vibrantes, vellicantes & lancinantes.

## PARS PRACTICA.

### §. XXVI.

**I**n congestionibus feliciter tractandis, primo loco perpendendum est, triuiale methodum, quæ vitiosas tantum qualitates corrigendas respicit, a principe naturæ scopo multum aberrare: sicut enim ex parte theoretica, rationibus sufficientibus confirmata, satis liquet, quod vniuersus horum motuum adparatus quantitatem humorum imminuendam potissimum respiciat; ita genuinæ omnino artis est, in eundem imminutionis finem oculum therapeuticum primario conicere. Quod adeo necessarium, vt in ipsis quoque seroso-mucidis congestionibus, quas *becchicas* appellare solemus, e. g. in coryza, tussi humida, abundantiam humorum excernendam maximopere respicere debeamus.

### §. XXVII.

In eam autem non adducor sententiam, quæ ad fontem chirurgicum protinus festinandum, & in ipsis paroxysmis sanguinem vel per venæ sectionem vel per scarificationem immi-

nuen-

nuendum iudicat: hoc enim vix ac ne vix quidem in magna rerum difficultate consultum puto; quia tale institutum æque, vt in hæmorrhagiis noxiis, consecutiones haud minimi ponderis premere solent, nempe motus congestorius in pluribus fit impetuosior, & quando in non nullis omnino remittit, breui tamen natura, in spem consecuturæ pristinæ euacuationis, eundem reciprocare animaduertitur.

## §. XXVIII.

Quam ob causam, fontem *chirurgicum* paululum prætereundo, ad pharmaceuticum progredior, & existimo, *quantitatis imminutionem*, in paroxysmis congestionum, optime & securissime fieri posse ac debere per talia medicamenta, quæ non solum stagnantes humores expediunt, sed quaslibet etiam *excretiones*, nempe *alui, sudoris & vrinæ* blande atque placide promouent. Cui *primariæ indicationi* quando satisfacimus, *reliquæ* necessitates, videlicet *orgasmi* temperatio, æqualis humorum per vniuersum corpus distributio & atrocium dolorum mitigatio, votis nostris non adeo difficulter respondebunt.

## §. XXIX.

De *aluina* excretionem primum dicimus & monemus, eam in omnibus congestionum speciebus necessario esse respiciendam: quia aluus ordinarie in illis est adstricta. Longe autem ampliorem vsu ex aluina solutione capimus, quam quidem crassiorum in his regionibus sordium excussionem: laxando enim spasmos molestos relaxamus, humoresque in remotis & vicinis partibus copiose stagnantes reuellimus & deriuamus. Quemadmodum vero vehementes in congestionibus excretionem omnes nocent: sic etiam in aluo expedienda purgationes impetuosæ damno futuræ essent. Ergo modicæ tantum ac blandæ  
laxa-



laxationes hic locum habent, quæ fiunt vel per præparata pharmaceutica, omnibus nota, & pro differente tam morbi quam subiecti ratione instruenda, vel per clysteres laxantes blandeque demulcentes.

§. XXX.

Ad eam nunc progredior excretionem, cui in omnibus fere morbis feliciter curandis, priores partes deferre possumus ac debemus: est hæc *blanda & halituosa diaphoresis*, quæ uti naturæ ductui prorsus consentanea est, ita in praxi medica amplissimam adfert commoditatem. Hac enim ratione æqualis humorum distributio obtinetur, molesta eorum abundantia optime imminuitur, & prauitates, nempe materiæ orgasticæ, salinæ, sulphuræ, quæ motu suo fermentatiuo putredinem minantur, e corpore proscribuntur. Quem in finem conducunt diluentia quæcumque temperata, & essentiæ alexipharmacæ, moderatis dosibus & opportunis horis propinatæ. Ex contraria parte *sudatio aquosa*, per calida remedia & regimina impetuose instituta, regiamque methodi naturalis viam deserens, pertinaciam motuum in congestionibus auget, & humores adeo intime resoluit, ut fiant agiliores, pertinacioresque; id quod contra vulgarem abusum probe notari meretur.

§. XXXI.

*Diuresis moderata*, tertia est excretio, quæ ad felicem congestionum tractationem pertinet, quæque easdem fere profert utilitates, quas de *halituosa diaphoresi* præcedente §pho enumeravi; videlicet molestam seri quantitatem imminuit, pravam qualitatem excernit & stagnantem in loco congestionis sanguinem reuellit. Quas utilitates observamus notabiliores in congestionibus non adeo calidis, quæ paullulum efficaciorum diureseos promotionem ad-

mit-

mittunt, modo *stimulantia* ubique excludamus. Nostro sæculo ad securam & salutarem diuresin præcipue salia media, nitrosa & absorbentia, acido saturata, in primis adhibere solemus: atque hæc sunt, quæ in morbis quoque congestoriis insignem adferunt utilitatem; siquidem eorum beneficio non solum diuresis promouetur, sed etiam spasticæ fibrarum stricturne demulcentur, & varii generis dolores secure complacantur, præcipue quando antimoniata fixa & cinnabarina hisce salibus adduntur. Ad eundem placidæ diureseos scopum valent etiam alcalia fixa, tinctura salis tartari, antimonii tartarificata, liqu. terræ foliatæ tartari.

§. XXXII.

Præmissa generaliiori methodo ad specialem illius executionem me conuerto, atque in ipsis congestionum paroxysmis sequente ratione incidendum esse arbitror.

- 1) Matutino tempore propinanda essentia alexipharmacæ STAHLII moderata dosis, coniuncto diluente quocumque tepido, siue potu thée siue infuso alio congruente. Hac enim ratione stagnantes humores tam acres calidi, quam mucidi frigidi corriguntur & per diapnoen atque diuresin excernuntur.
- 2) Hor. IX. & XI. ante meridiem pulvis antispasticus ex sale medio, nitro depurato, absorbente citrato & cinnabari compositus, subiungatur, vt stagnantes qualescumque humores abstergendo & inuoluendo porro corrigantur, per diuresin e corpore proscribantur, simulque varii generis dolores mitigentur.
- 3) Postmeridiem hor. IV. & VI. exhibeatur mixtura quedam ex alcalicis fixis composita e. g. Rec. tincturæ antim, tartarificatæ vnc. sem. liquor. terræ fol. tart. drachm.

drachm. ij. Hæc enim mixtura stagnantes humores itidem corrigit, eosque per diuresin excernit, & dolores quodammodo demulcet.

- 4) Versus somnum propinetur pulvis diapnoico-antispasmodicus, e.g. Rec: bezoard. min. gr. X. conch. citrat. cinnab. antimon. aa. gr. V. massæ pil. de cynogl. gr. j. misc. pro dosi.
- 5) Blandæ laxationes aliquoties interponantur, ac tum præcipue diluentia tepida largiore portione propinentur.
- 6) Topica ad humorum stagnantium discussionem simul coniungantur. e.g. Spiritus vini camph. crocat. & præcipue remedium istud antispasmodicum, quod *illustr. PRAESES consp. therap. spec. tab. XIII. pag. 148.* commendat, nempe liquamen lumbricorum terrestr. spiritu vini camph. & pauca nitri portione a corruptione præservatum. De reliquis præfidiis, quæ externe adhiberi solent, infra erit dicendum.
- 7) Remittente tandem paroxismo tonica præscribantur, e.g. mixt. tonico-neruina STAHLII, tinctur, mart. LÛDOVICI, essent. succini.

§. XXXIII.

Hæc est compendiarie medendi ratio, qua congestiones non solum *complete*, sed etiam *incomplete* seu *rheumaticæ* in ipsis paroxysmis secrete tractantur & feliciter depelluntur. Equidem me non fugit, quod plurimi Medicorum discrepantem methodum hic commendent, non sine ratione iudicantes, catarrhos, quos vocant *frigidos*, longe aliò modo esse tractandos, quam quidem *calidos*, illos calidiora, hos autem temperatiora remedia postulare: verum enim vero qui medicamentorum, præcedente §pho

D

com-

commendatorum, virtutem perpendit, ad eandem mecum sententiam haud difficulter accedet, quod eorum vsus & calidis & frigidis congestionibus, feliciter superandis, promiscue conueniens sit & accommodatus.

## §. XXXIV.

Sed restat primum instituti nostri momentum: videlicet *methodus prophylactica*, qua *recidivas* congestiones auertere, & sic non solum temporariam sed etiam perennem a congestionum acerbitate immunitatem procurare intendimus. Arduum quidem, at tamen non prorsus impossibile est, congestiones quascumque, praecipue rheumaticas, quae frequente sui recursum & consuetudine ius veluti quaesitum sibi compararunt, per intervalla ac spiramenta temporum ab inuasionem noua usque adeo depellere, ut natura memoriam horum congerendi motuum obliuione sempiterna delere possit ac soleat. In eo autem fundata est ardui huius negotii possibilitas, quod *plerhora molesta*, congestionum tantum non omnium causa, variis remediis & modis ad tolerabilem sui mediocritatem possit reduci.

## §. XXXV.

Quemadmodum remedia ad congestionum acerbitatem in *paroxysmis* mitigandam & auferendam ex fonte *pharmaceutico* deriuati: ita ad *recursum* huius afflictionis auerendum, parum praesidii & constantiae ex eo petere licet. Habent quidem aliquam vtilitatem *menstruae* per *epicrasin* laxationes: sed anceps merito haesitares, nura *menstruus* hic *consensus* tolerabilior esset, quam congestionis onus, saltem non quolibet mense perferendum. Pari ratione ex *fontibus aquarum salutarium* parum salutis constantis haurire possumus ad auertendas congestiones: licet enim *thermarum* & *acidularum* vsus, in spongiosis praecipue subiectis, egregie

gie conducat ad humorum abundantium imminutionem; dolendum tamen est, quod bonus harum aquarum effectus sese non extendat ad *menses* vsque *rheumaticos* & *catarrhales*, quodque molesta plethora, ætate paullulum consumpta, a pluribus ante recuperetur, quam quidem autumnus catarrhofus adpropinquet. Multo minus aliquid constantis præsidii a remediis *externis* sperandum est: *globulis* ex *succino* confectis, fidem quidem habent feminæ inferioris conditionis, honoratiores autem præferunt eis *margaritas* pretiosas. *Sympathetica* aliaque eiusdem *furfuræ motum* quidem *congestorium* suspendere, minime autem *causam* eiusdem *materialem* remouere possunt.

## §. XXXVI.

Ad fontem ergo *chirurgicum* accedere, & quid auxilii ex eo petendum sit, explorare ordinis ratio iubet. *Trimestres* quidem *venæ sectiones* *menstruasque* *scarificationes* multis esse salutare, experientia adeo confirmatum est, vt etiam *congestionum* *pertinacissimæ*, *rheumatico* - *arthritico* - *podagricæ*, per eas a recurſu suo in nonnullis prohibita fuerint: sed quem quæſo fugiunt difficultates, quæ consilium de sanguinis frequente profusione apud Germanos premunt? Primum enim præiudicatæ opiniones de *balsamo* & *thesauro vitæ*, cuius numquam dari possit excessus, eo vsque non sunt transactæ, vt profusam quasi in eo pendendo luxuriam omnes simul comprobare soleant. Deinde multorum hæmophobia tanta est, vt venæ sectionis diem maximopere abhorrescant, actum temporis in magnas perturbationes & exanimationes delabantur. Quæ de causa *metasyneriticam* antiquorum curationem cum *circulo suo resumptiuo*, aut recentiorum *menstruas* per plures dies *laxationes* tam vehementer non reformidarent, quam tantillum

venæ secundæ momentum. Denique menstruam sanguinis effusionem, ad congectiones auertendas, non omnibus sufficere, sexu sequiore compertissimum habemus: quæ enim congectionum adfliciones, quæque dolorum genera feminas præcipue honoratiores, distorquere soleant, Medici, earum miniltri, perindigne experiuntur. De reliquis ex fonte chirurgico præfidiis, nempe *fonticulis, setaceis, vescicatoriis*, generatim iudico, quod plus molestiæ, quam auxilii, ab iis exspectandum sit.

§. XXXVII.

Ad fontem *diæteticum* properando, *sex* in illo scaturigines, quæ discrepantis admodum sunt effectus, deprehendimus. Primus earum *ternarius* profert *aerem, alimenta & somnum*, alter autem *animi quietem, corporis laborem & quotidianas excretiones*. De primo ternario adserere possumus, quod congectiones magis generet, foueat nutriatque, quam easdem auertere soleat. *Optimus* quidem *aer*, nempe *purus, temperatus, & gradum humoris non excedens*, ubi conceditur, merito eligendus est: quam parum autem ad congectiones prohibendas valeat, exemplo honoratorum fatis edocemur; hi enim quamlibet aeris inclementiam sollicitate euitare solent, & tamen congectionibus maximopere obnoxii sunt, oculis suffusis præteruidentes, quod laboriosi homines mensibus sic dictis catharrhosis a catarrhis minime infestentur. Ad *alimenta* quod attinet, omni quidem modo frugalitas in cibo & potu commendanda est: catarrhos autem & rheumatismos per laudabilem istam continentiam (si vel ipsum TRALLIANI *diarrivon* seu inedia trium dierum aliquando interponeretur) minime dispellemus. Ad congectiones enim auertendas non sufficit, vt plethora tantum imminuatur, sed partium quoque

que tonus, ad æquilibrium conseruandum, roboretur. De somno verba facere non expedit, quia per vulgus notissimum est, quod vel ipsi scrupulosi septem horarum obseruatores catarrhis sæpius diuexentur.

§. XXXVIII. Itaque cum ex primo scaturiginum ternario parum salutis ad morbos nostros arcendos petere liceat, alterum nunc salutare & quid ex eo præsidii expectandum sit, perquirere conueniet. *Animum continentem & tranquillum ad fanitatis conseruationem plurimum valere, inter omnes quidem constat & vbique celebratum est: quoniam autem neque plerhoram imminuit, neque partium tonum roborat, fieri non potest, vt ex hoc riulo, ceteroquin salutari, congestionum prophylaxis deriuetur. Quare confugiendum est ad duos reliquos, nempe ad laborem & sudorem; de quibus omnino adseuerare possumus, quod vnice fere & efficacissime valeant ad quaslibet congestiones prohibendas: quum vero aquæ, quas hi riuli proferunt, intuitu laboris sint amara, & respectu sudoris paullulum foetida; fit inde, vt plurimi valetudinarii, qui res delicatas desiderant, vel valde parum, vel profus nihil ex rustico hoc fonte bibere desiderent.*

§. XXXIX.

Quod si vero quis quærat, quo tandem consilio instruendi sint ægrotantes nostri, vt congestiones perquam molestas a reditu suo prohibere possint, respondemus, Medici officium esse, optimam fanitatis conseruandæ viam aperire, & ex quolibet generalium fontium ea commendare, quæ artis regulæ exposcunt, de reliquo autem ad reuulentem atque illiberalem ægrotantis mentem sese adplicare,

care, incompletæ curationis causam qualibet occasione exponere & in viam perfectiorem omnibus modis eum inuitare.

§. XL.

Cæterum summa consilii medici capita, quæ ad auertendas congestiones requiruntur, eo redeunt, vt sanguis abundans, tamquam princeps earum causa, imminuatur, & quidem ex fonte *chirurgico*, per trimestres venæ sectiones & e re nata per frequentes scarificationes interponendas; ex fonte autem *pharmaceutico* per laxantia, diuretica & præcipue diaphoretica, post quamlibet trimestrem V. Semel, sex diebus vsurpanda; aut, si ægri conditio fert, per congruum thermarum & acidularum vsuum; Denique ex fonte *diætetico* per sollicitam *sex rerum non-naturalium* obseruationem; in primis per laborem & sudorem, quibus efficitur, vt non solum *fluidæ* partes imminuantur & a fordibus suis purgentur, verum etiam *solide* tono suo legitime roborentur.

T A N T V M.

VIRO



VIRO  
OMNIPRAECLARE ET EGREGIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO  
HENRICO CHRIST. MVLLERO

OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM

PRAESES.

**I**n acquirenda laude multi multam operam perdunt: quoniam, virtute susque deque habita, aliena conquirere conantur, & sic gloriae loco superbiae macula seipsos conspurcant, propriam mentis imbecillitatem prodentes; corui illius instar, qui alienis plumis superbiendo, fraude detecta, aliis visum mouebat. Tantum autem abest, ut rectum virtutis sensum habentes laudem anhelent; ut potius virtutem ipsam sibi praemio esse, illamque umbræ instar gloriam sequi, probe habeant perspectum. Idem veteres censuere, vino vendibili non opus esse hedera suspensa, dicentes. Hæc mihi venere in mentem, de laudibus Tuis, Prænobilissime Domine CANDIDATE, cogitanti. Tu enim longe aliam mentis indolem apud nos ostendisti; neque fuco obductus, neque alienis plumis superbus, sed sincerus atque candidus incedens vitæ Tuæ modum inter nos ita habuisti, ut veram Tibi laudem praripere posset nemo. Quibus rebus ductus, non potui, quin Te in orphanotropæo nostro synergum adoptarem, cui muneri etiam ad vota mea semper præfuisi. Præterea ad litteras strenue incumbendo eo peruenisti, ut iam publice Te sistere, & dissertatione Tua inaugurali vtilissimam in foro medico materiam exhibere possis. Eruditione igitur & probitate bene imbutus nunc satis dignus, debitum in arte medica reportas honorem, quem, ut Tibi ex animo gratuler, meum esse duxi; addito omnigenæ salutis voto, ut futura Tua praxis vitæque omnis in Tuum Tuorumque emolumentum, egrotantium salutem ac summi Numinis gloriam cedant! quoniam in his veram Medici laudem positam esse scimus. Dabam Hale

Magd. II. ante Calend. Iunii MDCCXLVIII.

VIRO

VIRO  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
HENRICO CHRIST. MVLLER,

MATHEOLITVS S. P. D. HAMBVRGVS

IOANNES AVGVSTVS VNZER  
OPPONENS.

**E**go, quanti TE faciam, semperque fecerim, sum mihi ipse testis. Nam & eruditio TVA, solidaque artis salutaris, cui TE consecrasti, cognitio semper mihi exemplo fuit, & TVA erga me amicitia, qua nullam sinceriozem esse existimo, mihi non minori curæ est, quam TIBI semper fuerint commoda mea. Itaque non possum, quin gratuler TIBI, mi MVLLER, vereque gratuler honores, ad quos legitime capessendos mox in arenam disputatoriam conscendes. Spertam opponentis, quam abs TE mihi collatam esse lator, eo lubentius in me suscepi, quo non solum magis ad omnia officiorum genera me TIBI obstrictissimum esse agnoscam, sed etiam quo digniorem, de qua disputares, thesin TIBI elegeris. Nullus dubito TE in soluendis leuissimis dubiis meis talem esse ostensurum, qualem iam dudum TE esse cognoui, solidum nimirum atque expertum Medicum. Nihil itaque superest, quam quod expectes accipiasque diligentia TVAE premium, quod TIBI iterum iterumque gratulor, cum scio TE illud iam pridem promeruisse. Vige nunc & flore, fruens fructu laudatorum TVORVM laborum, quo es dignissimus. Ne vero obliuiscaris mei, qui semper sibi duxit & ducet honori amicitiam, tanta pietate in hunc usque diem cultam atque seruata. Quam ut etiam, TE absente, immutatam retineas, vehementer, vehementerque TE rogo, & ita TIBI persuadeas, me ad omnia officiorum genera semper fore paratissimum. Dabam in nosocomio Orphanotrophei Glauchenjjs prope Halam  
d. XXIX. Mai. MDCCXXXVIII.

ORIV

**S**unt, qui contendunt, Medicum non esse decere  
Chirurgum; sed cur hoc sibi turpe putant?

Forte, quod ars olim fuerat concredita feruis.

Culpa sed in Medicis non & in arte fuit.

Horrent nonnulli ferrum, saeuosque dolores,

Aegris quos adfert saepe cruenta manus.

Has artes hodie iunctas feliciter esse

Exemplo monstras, Optime Amice, TVO.

Ergo capis dignus supremos artis honores,

Quos labor & studium bis meruere fere.

Lætus ego gratulor, læti gratulantur amici,

Plaudimus vnanimis, quos TVA causa mouet.

Plausibus adiungit quiuis iustissima vota:

TE Deus innumera prosperitate beet.

Viue, vale, flore, messëm largamque laborum

Expectato! Vnum, sis memor, opto, TVI.

*Amici integerrimi TIBique deditissimi.*

**J. G. STOECKER,**

Cothenio - Anhaltinus.

M. C. Opponens.

---

**S**ar ietzt mein Vers so stark und schön,  
Mein Bruder, als wie meine Triebe,  
So solst Du hier den Abriß sehn,  
Der reinsten brüderlichen Liebe.

E

Erst

Erst mahlte ich die Cittracht ab,  
Die uns der GOTT der Liebe gab,  
Zu unsern gegenseitgen Glücke;  
Denn zeigt ich, wie durch dieses Band  
Mich GOTT zu Dir, mein Joseph, sand  
Nach seinem weisesten Gesichte.

Doch ietzt da mich Dein Abschied schreckt,  
Vergeht mir alle Lust zum dichten.  
Obgleich die Pflicht die Muse weckt,  
Dir einen Glückwunsch zuentrichten.  
Mein Herz voll Lieb und Dankbarkeit,  
Sieht Deinem Abschied schon entgegen,  
Doch ruft mein Mund mit Zärtlichkeit,  
Nur dis: mein Bruder, zieh in Seegen.

Wilhelm Siegfried Müller,

d. G. G. B.

---

Per aspera ad astra.

**S**o ist alzeit der Weg des Vatters gut und recht,  
Ist er gleich faulen krumm, und stolzen viel zu  
schlecht;  
Den Tag, den ich gewünscht, den hab ich nun gesehen,  
Und was ich längst gehoft, ist nun einmal geschehen.

Dich

Dich zog des Höchsten Hand durch krumme Wege hin,  
Und keiner kante noch des Vatters wahren Sinn;  
Doch iezo hebt er Dich zum Ehren-Sitz hinauf,  
Und schließt den Körper Dir der krankten Menschheit auf.  
Den lang geübten Fleiß, Dein Forschungs-reiches  
Denken,

Kanst Du nun überall in die Gelahrtheit senden.  
Was brauchts nun meinen Wunsch? denn was ich wün-  
schen kan,  
Trifft man, Geehrter Freund, schon völlig bey Dir an.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Herrn  
Licentiate zur erhaltenen Würde aus alter  
und aufrichtiger Freundschaft gratuliren,

Desselben

Treu • ergebenster Freund

**Franz Gottlieb Linde,**

Smaleald. SS. Th. Cand.

---

**S**reund! dessen Glück wir stets den reinsten Wunsch  
geweiht,  
Der nun nach unsrer Lust zu seiner Krafft gedeiht,  
War nicht der Raum so klein, so soltst Du hier noch  
lesen,  
Wie schätzbar Deine Gunst und Umgang uns gewesen.

E 2

Dein

Dein glücklich kühner Fleiß zieht nun Dein Glück empor,  
Die Vorsicht zeigt Ihm bereits den schönsten Flor,  
Wir sehn Dir freudig nach auf Gottes guten  
Wegen,  
Sein Vatter-Schutz wird Dich, wie Du die Kranken  
pflegen.

Zu Bezeugung Ihrer Ergebenheit setzen diese  
schlechten Zellen bey

J. C. H. J. B. B. B. B. B.



Kalle, Diss., 1748 (1)

ULB Halle

002 729 407

3




56

v. 18









8  
1748, 2<sup>b</sup>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# CONGESTIONIBVS VVLGO CATARRHIS ET RHEVMATISMIS

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AMPLIS.  
SIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. IOANNE IVNCKERO  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, DECANO FACVLTATIS MEDI-  
CAE H. T. SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE  
AC PROMOTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

## PRO LICENTIA

SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS

AD DIEM MAII MDCCXLVIII.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVSSIONI EXPONET  
HENRICVS CHRISTIANVS MVLLERVS  
MEHLERA-GOTHANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

